Super quo idem Joannes Sulik ius perductum habet. Mandamus itaque Fid. vrib. vt si forte ea causa ad Judicium Fid. vrarum per appellationem devoluta fuerit in eaque aliqua partium vlterius provocare voluerit, eam apellationem non ad Commissarios sex Civitatum, sed ad nos Judiciumque nostrum dirigant atque transmittant. Pro gratia nra. [illegible] debito.

Rescriptum S. R. Maiestatis

Sigismundus etc. Joannes etc.

Quod cum tempore non ita pridem praeterito ad faciendam ordinationem inter mercatores, aliosque cives Crac. et Judaeos de rebus, quibus Judaeis mercari liceat, quibus vero non: vigore decreti nostri in comitiis proxime praeteritis lati certos commissarios nostros deputassemus, qui quamvis aliquoties convenissent, et ordinationem praedictam serio instituissent, brevitate tamen temporis, instante discessu nostro, exclusi negocium hoc perficere non potuerunt. Quare antequam de eadem ordinatione et mercatura aliquid certi statuamus, Volumus partesque, quarum interest, serio admonemus, vt dum nos gravioribus Reipub. curis in Comitiis proxime futuris occupamur compositionem amicabilem inter se tentent. Quod vt commodius peragere valeant, arbitros et compositores nostros in eam rem iam ex nunc designamus et deputamus, Venerabilem ve. Petrum Gorczinium Canonicum Crac. et Generosum Nicolaum Korzcinsky Secretarium nostrum. Quibus mandamus, vt sub hoc Comitiorum tempore, quandocunque illis placuerit, ad Praetorium Civile conveniant, Vocatisque ad sui praesentiam tam ex Magistratu, quam ex Communitate praecipuis civibus, necnon Senioribus Judaeis, item et hominibus aliquot rei mercatoriae peritis, seiunctis in eam rem tot diebus, quot necessitas postulaverit. Primum quidem partes moneant, vt media ad compositionem omnes eas differentias vltro vtrinque exhibeant, intellectisque vtriusque partis postulatis, ipsi quoque iuxta quod illis ratio et conscientia dictaverit, partibus modos aliquos proponant, quibus res tota sopiri et complanari possit. Nihil tamen de:

definiant, sed siue inter partes de conditionibus transactionis
conuenerint, siue non, et siue ipsi arbitri inter se conuenerint siue
non, totam rem scripto occluso comprehensam sub censuram nostram
remittant. Nos tandem quod iustum nobis visum fuerit, in
ea causa statuemus. Volumus ~~tantum~~ autem, vt ea compositio iuri
vtriusque partis nihil deroget, sed omnia integra partibus mane=
ant, donec per nos vel compositio partium approbetur, vel ali=
quid aliud fiat, quod ad causae determinationem pertinebit. In cuius rei

Donatio

Sigismundus 3. Scamus Re

Quod cum intellexissemus decessisse ante annos aliquot steri=
liter Famatum olim Amarbij Armenum Cafensem Ciuem Leopo=
liensem, cuius bona apud nos delata fuerant, ac si iure caduco es=
sent obnoxia, ideoque in Anno 1599 dederamus negocium Genero=
so olim Erasmo Komorowski, vt ea bona Fisci nostri nomine inuen=
tari curaret, atque sequestro subijceret. quod factum quidem est, et
ad eius instantiam bona eiusdem Amarbij inuentata atque sequestra=
ta, tandemque ad fideiussoriam Famati Georgij Jwaskowicz Ar=
meni Ciuis Leopoliensis fratris germani Honestae Bilenka Jwasko=
wiczowa, eiusdem Amarbij relictae viduae, penes eam relicta, et in hanc
vsque diem neglecta sunt. Quamuis tamen eadem bona tam exigua
sint et incerta, vt iuri dotali eiusdem relictae viduae non responde=
ant, multo minus debitis, de quibus circa inuentarium protestationes
intercesserunt, tamen eadem vidua propter sequestrationem et fi=
deiussoriam praefatam eis disponere non audet. Habentes ita=
que rationem orbitatis et paupertatis eiusdem Bilenka Amar=
bikowa viduae, sequestrum praedictum Fisci nostri nomine fac=
tum relaxari esse duximus, prout iam ex nunc relaxamus, eamque
tam ab eadem sequestratione, quam a fideiussoria praefata ab=
soluimus. Et insuper omnia bona eiusdem Amarbij et summas
apud diuersos debitores constitutas, si quae vltra ius eius
dotale superfuerint, eidem Bilencae in sustentationem viduae iure
perpetuo et irreuocabilis donationis, damus donamus ac largi=
mur Cum plena facultate eadem bona omnia pro mariti sui anima
relicta in vsus suos conuertendi In cuius rei fidem etc.

Consensus.